Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8162
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek



in sompno ad cordis profunditatem trahunt. Ex propinqua dormitione post
sompnum membrorum accidit confractio. Post minutionem non exercitetur quis
sed supinus per horam iaceat. Cum percussio apostemata fuerit in altero mi-
nuatur brachio si virtus concesserit et supponatur emplastrum de cerusa.
Percussio bina in flobothomia plurimum facit nocumentum. Basilica evacuat
quod est a stomacho inferius. Dextra ceylem sive salvacella dolores
epatis sinistra vero splenis curat et sanguis permittatur fluere donec
per se restringatur. Ascellaris est idem iudicium quod basilice. Sincopis con-
tingit maxime calidis laxa habentibus corpora et accidit magis propter
retentionem quam propter fluxum. Sciatice minutio est optima in scia podagra
elefantia sed est difficilis. Vene pedis capitis prosunt doloribus
et melancolie. Hora minutionis electa est post digestionem et egestionem
hoc est a 3. usque ad 6. hora vero necessaria est quelibet in qua natura petit
illam fieri. Qui multum sudat cum repletionis et sepius febrit et caput
dolet flebotomia indiget. Ventris fluxus a flebotomia excusat. De ventos.

Ventose que cruribus supponuntur sunt minutioni propinque et mundificant
sanguinem et provocant menstrua et mulieri albe et laxe subtile habens
sanguinem est talis minutio melior omnibus. Ventose super occiput po-
site et sinciput amentie conferunt et scotomie et canos retardant ut
vi. et conferunt oculis et scabiei et bochor sed intellectum impediunt
et stuporem faciunt et oblivionem. Ventose sine scarificatione supponuntur
mamillis propter menstruorum retentionem quandoque ponuntur ut apostema foras
trahat quandoque ponuntur ut membrum calefiat quandoque supponuntur umbilico ut
in dolore colice quandoque in doloribus matricis et ventositatibus ventris et
quandoque super nates et sic a toto corpore trahunt et menstruorum sanant corrup-
tiones et intestinorum. Infans ante 3m annum non ventosetur. Si cum sangui-
sugis ventosare necesse fuerit tunc solum eligas sanguisugas habentes ventres
rubeos et dorsum viride et precipue si ex aquis fuerint currentibus et est earum
extractio sanguinis multo profundior quam sit ventosarum. Apponende sanguisuge
prius in aqua dulcem ponantur per diem et mutantur et postea in una cana ubi
necesse fuerit apponatur.